



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De corpore Domini, quod Colonia de manibus sacerdotis labens, lapidi
miraculosè impressum est, cap. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

in flumine jactavit. Mira CHRISTI potentia, mox enim vt elementum tetigit sacramētum, fantasia cessit veritati, & pseudo illi sancti, quasi plumbum descendentes, in profundum sunt submersi; pixis verò cū sacramento statim ab angelis sublata est. Videns sacerdos hæc omnia, de miraculo quidem exultavit, sed de jactura sacramenti doluit: rotam verò noctem in lacrymis & gemitu transigens, manè pixidem cum sacramento reperit super altare. Hæc nobis eodē tempore relata sunt. Aliud in mari de corpore Domini contigit miraculum, quod non silebo.

CAPVT XIII.

Quādo in ista magna expeditione naues, ex omni parte Alemanniæ congregatæ, mare intrauerunt, ob causas diuersas præceptum est sacerdotibus, ne in aliqua naui corpus Dominicum seruaretur. Quæ cum omnes iussis obtemperarent, vna sola naui Frisonum obedire noluit, quæ citius inobedientiæ pœnam soluit: Dei siquidem iudicio cōfracta est, & pixis seruans corpus Domini cum ceteris quæ in nauibus erant ejecta, homines verò, aliis nauibus subuenientibus, liberati sunt: & ecce vident eminus pixidem in pelago natantem, quæ tam celeri motu ad naues festinabat, vt velificare videretur: quæ cum in nauim vnā recepta fuisset, aliud in ea visum est miraculum. Cum operculum eius esset patulum, nec zona circa nodum firmatum, inter vndas illas procellosas, nec vna quidē guttula intrauit. Hermannus Decanus sancti Gereonis in Colonia, qui præsens fuit, & hæc vidit, pro magno miraculo ea solet recitare. Terra etiam in hoc sacramento suum recognoscit auctorem.

CAPVT XIV.

Terra.

PLebanus sanctæ Columbæ in Colonia, cum in quadam solemnitate Paschali populum communicaret, hostia de manu eius lapsa cecidit super pavementum lateribus stratum: vt autem Dominus se ostenderet Dominum terræ, sicut & maris, mox vt hostia, quantum ad speciem modici ponderis, lapidē tetigit, lateris illi duritia cessit, ita vt circulus & licet in

in illo apparerent, quemadmodum fieri solet, cum molli ceræ sigillū imprimitur. Sacerdos territus, mox hostiam leuauit, & laterem eruit; in quo cum tam ipse, quam multi alii, tantum miraculū vidissent, & expauescent, consilij inops sacerdos, locum tam mirabiliter hostia signatum rasit, puluerem ponens inter reliquias. Huic miraculo Arnoldus monachus noster dicit se interfuisse. Vt etiam Dominus ostenderet in aëre potentiam suam, tale quid fieri permisit.

CAPVT XV.

IN villa, cui Haynrode vocabulum est, sacerdos *Aër.* quidam est nomine Euerhardus, hic ante annos paucos ad ecclesiæ eiusdem festiuitatem vicinos sacerdotes conuocauit: solemnisantibus eis in vesperis circa altare, & insanientibus, vnus ex eis pixidem, quæ super altare cum corpore Domini pendeat, casu euertit, & quinque ex ea hostias excussit. Quod ubi compererunt cæteri, mox organa sua suspenderunt; quærentibus eis hostias, & non inuenientibus, populo eiectione, & foribus obseratis, dū omnes angulos perscrutarentur, nec comparerent, vnus eorum, diuino nutu, ambitum, qui erat circa murum, ascendit, ubi easdem hostias in modum crucis dispositas attendit: erat enim idem circuitus pixide multo altior. Obsequens aër suo Domino, corpus eius de pixide lapsū excepit, ne super terram laberetur, ubi ab angelis susceptum, in locum illum sublimē deportatum est. Hæc mihi à Methilde magistra de * Vsenich relata sunt. ** al. Husenich.* Cognouit & ignis sacramenti huius virtutem.

CAPVT XVI.

NON est diu, quòd quædam ecclesia in prouincia *Ignis.* nostra exusta est, cumq; omnia, quæ cremari poterant, in cinerem fuissent redacta, flammis sopitis homines intrantes, solam pixidem cum corpore Christi illæsam super altare reppererunt. Quod pro miraculo magno, sicut reuera fuit, Córado Priori loci sanctæ Mariæ & aliis quam pluribus referentes, Deum glorificauerunt, plurimum per hoc in fide confortati. Ecce habes ex his, quæ dicta sunt, euidentissimi

ma